



## §. III.

NVM FORMVLA CONSENSVS LVB. SIT  
LIBER SYMBOLICVS?

Ad rem ipsam quod attinet, primum oritur quaestio, an pro libro, vel libello aliquo symbolico Formula nostra habenda sit? Aientium partes tuetur celeberrimus BAVMGARTEN, in *Anhang zu den Erleuterungen der Symbol. Bücher* pag. 306. inter libros symbolicos eandem referens particulares. Quam quidem sententiam comprobare maxime videtur Subscriptio, Formulae huic adiecta; quae subsignantium sibi coniunctam habet obstrictionem, sese scilicet in sacro, quod offertur, munere nihil vnquam, hisce promissionibus contrarium, esse docturos: id quod character quasi est, qui scripta symbolica ab omnibus omnino aliis discernat. Prouoco ad Venerandi Praesidis *Theologiam Symbol.* (cuius primae tantum septem plagulae ante vndecim annos impressae sunt) *Prol. C. 1. §. 16. & 17.* Verum enim vero dum rem penitius consideramus, apparet, solam subscriptionem non vnice librum efficere symbolicum. Requiritur etiam, vt dogmata quaedam determinantur, certae veritates amplectendae proponantur, earundemque oppositi reiiciendi errores indicentur; teste iterum Celeb. D. FEVERLINO *l. c. §. 1.* Iam vero quum hae praecipui momenti res defint in Formula Lubecensi, symbolici libri denominationem eadem quam minimè competere, clarum est. Quia tamen Errantes quidam, e. gr. Osiander, Suenkfeldius, Calvinus, Thammerus, hic nominantur, idque nihil aliud sibi velle vide-